

nequidem ex commissione posse ab iis conferri. 3°. Quodcumque de hac delegata ordinandi potestate fit mentio, nunquam exprimitur diaconatus. Sed

144. *Obj.* INNOCENTIUS VIII. anno 1489. concessit Abbatibus Cisterciensibus facultatem suis religiosis conferendi ordines minores, subdiaconatum et diaconatum; de Bulla hujus privilegii meminit primo Navarrus L. 5. Consilior. Cons. 13. *Secundo*, eam in bibliotheca Collegii Complutensis Societat. Jesu servari, et se legisse testatur Vasquez 3. p. disp. 243. cap. 4. *Tertio*, Berti ait se legisse in Bullario Cisterciensium. *Quarto*, hoc privilegio usi dicuntur Romæ, et Gandavi in Belgio Generales Cisterciensium. Ergo extat exemplum, quo facultas ordinandi diaconum est concessa etiam aliis non Episcopis.

R. 1°. Bullam hanc supposititiam esse ait Sylvius in supplem. S. Thomæ q. 38. a. 1. Hallerius de ministro Ordinationis a. 2. sect. 3. et alii. *Primo*, quia nullum ejus authenticum exemplar hactenus produci potuit; non enim extat in Bullario Romæ edito. *Secundo*, quod de ea pugnancia testentur auctores; nam Franciscus Victoria ait sibi quidem eam ad manus venisse, sed in ea solum exprimi subdiaconatum; Vasquez e contra etiam diaconatum. *Tertio*, Henno, qui testatur ea facultate usos esse Generales, nullo id probat testimonio. *Quarto*, Benzonius L. 2. de anno Jubilæi, cap. 23. ait Bullam, quæ videtur concedere Abbatibus Cisterciensibus, ut subditos sibi religiosos ordinent subdiaconos et diaconos, loqui tantum de litteris dimissorialibus, quas possint suis dare ad quemlibet catholicum Antistitem, non habita ratione provinciarum, aut diocesium, et ita declarasse Sacram Congregationem Concilii Tridentini anno 1592. et CLEMENTEM VIII. *Quinto*, quod Concilium Tridentinum, dum Sess. 23. cap. 8. ordinationem reservat Episcopis, et cap. 10. Abbatum, etiam exemptorum, restringit privilegia minora, nullam faciat mentionem privilegii conferendi diaconatum; ergo supponit hoc privilegium ipsis nunquam concessum fuisse, alioquin illius præ aliis meminisset.

R. 2°. Tametsi non sit nobis animus decidere, sitne Bulla illa vera, vel non? id tamen ex ultro citroque dictis non immerito colligitur, esse fidei dubiæ; proinde argumentum ex ea petatum infirmum esse; et subsistere conclusionem, qua solum dicimus, probabilis esse sacerdotem etiam non esse ministrum extraordinarium respectu diaconatus.

145. *Dico IV.* Potest tamen sacerdos simplex ex concessione Ecclesiæ conferre subdiaconatum; item ordines minores. Est communis sententia. Et quidem in eorum sententia, qui negant hos ordines esse sacramentum et institutos a Christo, res difficultate caret; tunc enim eorum collatio, sicut institutio, pendet ab Ecclesiæ arbitrio. In aliorum sententia, qui admittunt subdiaconatum esse sacramentum; item minores,

Probatur 1°. Auctoritate GELASII Papæ, qui facultatem conferendi hos ordines concedi posse presbyteris a Pontifice asserit epist. 9. cap. 6. Tom. 4. Concil. (p. 1490. A.) ubi de presbyteris loquens, ait: *Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine summo Pontifice subdiaconum, aut acolythum*

jus habere faciendi; ergo vult eos hoc posse cum consensu et concessione Pontificis, alias enim verba GELASII inania forent, et omni sensu vacua.

Prob. 2°. in specie de Subdiaconatu. Tale privilegium concessum fuit Abbati Cisterciensi, cujus meminit Pius V. in ea Bulla, qua hoc ipsum jus denegat Abbati Præmonstratensi. Item Abbatibus Benedictinis, testatur Victoria. Tale privilegium fuit alterius Abbatis Cisterciensis in Germania, quod ante Concilium Tridentinum confirmatum fuisse asserit Navarrus Consilior. L. 5. de Privileg. Cons. 14.

Prob. 3°. de minoribus Ordin. Synodus VII. generalis anno 787. can. 14. (Lab. t. 7. p. 607. E.) facultatem lectorum creandorum fecit Abbatibus: *Lectoris autem manus impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio monasterio solummodo faciendi... dum constet illum esse presbyterum.* De acolythatu constat ex GELASIO Papa ante cit.; et de singulis ex Tridentino Sess. 23. c. 10. ubi: *Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus diocesis consistentibus, etiamsi nullius diocesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre.* Ergo Concilium relinquit Abbatibus facultatem, tonsuram et minores ordines omnes conferendi Regularibus sibi subditis.

146. *Obj.* Si possit Pontifex concedere facultatem sacerdoti simplici conferendi subdiaconatum et minores ordines; ergo vel vi ordinis sui, vel jurisdictionis: atqui neutrum dici potest: non primum; quia alias idem posset Episcopus, hic enim quoad ordinem non differt a Papa; sed illud non admittitur: non secundum; quia jurisdictio respicit corpus Christi mysticum, non naturale.

R. *N. seq. Maj.* Hoc facit Pontifex ex potestate sibi concessa a Christo; quam ei concessam fuisse declarat praxis Ecclesiæ ex allatis exemplis.

147. *Dico V.* Valida est ordinatio facta ab Episcopo improbo, intruso, hæretico, schismatico, excommunicato, deposito, simoniaco. Est communis hodie Doctorum Catholicorum, et partim de fide, ut patebit.

Prob. per partes. I. De improbo. 1°. Ex Scriptura, juxta quam 1. Cor. 4. Episcopi sunt ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei; sed sive probus sit, sive malus procurator, non interest rei, quam nomine Domini agit, modo id exequatur, quod sibi mandatum est; ergo, Unde et Apostolus ibid. cap. 3. ait: *Neque qui plantat, est aliquid; neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 2°. Ex definitione Ecclesiæ, quæ ea de re Donatistas, Waldenses, Wicleffistas, Hussitas proscribit ut hæreticos, ut constat ex Bulla MARTINI V. in qua ex damnatis Wicleffi articulis hic decimus est: *Si Episcopus existat in peccato mortali, non ordinat*; Ex Conc. Constantiensi Sess. 15., Trid. Sess. 7. can. 12. ubi de Sacramentis in genere contrarium asserentes ferit anathemate. 3°. Ex SS. PP. AUGUST. Tr. 5. in Joan. n. 15. *Qui fuerit, inquit, superbus minister, cum sabulo computatur, sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum venit ad fertilem terram... per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generat, sed tamen*

hortis plurimum fructum affert. Vide plura Tr. de sacram. in genere, ubi de probitate et fide ministri.

II. De intruso. Ex traditione Ecclesiae. S. Leo Papa Anatolium, a conciliabulo, vel latrocinio Ephesino intrusum in sedem Constantinopolitanam S. Flaviani, instantibus Marciano et Pulcheria Augustis, non solum recepit; sed etiam ordinationes ab eo factas approbavit, ut habet ipsa S. LEONIS epist. 78. al. 54. ad Marcian. Augustum, et refert AUXILIUS in defensione Formosi L. 1. cap. 24. apud MORIN. de SS. Ordin. p. 2. VIGILII summi Pontificis ordinationes, cum expulso SYLVERIO Papa legitimo vi potitus esset summo Pontificatu, nemo unquam vocavit in dubium; nec eas postea iteravit VIGILIUS, factus, SYLVERIO mortuo, verus et poenitens Pontifex. *Ordinationes ejus*, ait PETRUS DAMIANI apud Morin. loc. cit. *in sua perpetua stabilitate permanserunt.* Plura exempla passim auctores referunt alii.

III. De haeretico. Concilium Nicænum can. 8. Novatianos cum suis ordinibus decrevit suscipiendos esse, quem canonem exprimit Synodus VI. Carthagin. *Si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam Cathari, placuit, sicut et magnæ Synodo (Nicænae) eos ordinatos sic manere in Clero.* Tom. 2. Concil. pag. 1346. Idem Nicænum de ordinatis Arianis statuit. Et hinc quidem canon ille 8. celebratissimus, qui in regulam deinceps evasit Siricio Papæ epist. ad Himmerium., Innocent. I. epist. 22. cap. 3., Tharasio, Actione 1. Synodi VII., Hincmaro ad Episcopos Synodi III. Suession., S. Hieron. qui in Dialog. contra Luciferianos ait n. 19. : *in Synodo Nicæna octo Episcopos Arianos susceptos scimus.* Similiter de ordinatis a Donatistis, cum ad Ecclesiam redirent, ait AUGUSTIN. Lib. 2. contra Parmen. *non sunt rursus ordinati; sed sicut baptismum in eis, ita ordinatio mansit integra.* Idem quoque statuit Synodus Ephesina Actione 7. (v. Labb. t. 3. p. 809. B.) de Messalianis, vel Enthusiastis, et Synodus VI. de ordinatis a Monothelitis, ut testatur Tharasio Act. 1. Synodi VII. (Labb. t. 7. p. 70. et seqq.) et passim SS. Patres docent: BASIL. ad episcopos occidentales epist. 74. (al. 263.), S. Leo Papa epist. 1. cap. 6. (al. 87.)

IV. De schismatico. Ex perpetuo Ecclesiae usu et praxi. Plurima enim schismata in Ecclesia constat fuisse; sic post mortem Liberii anno 367. Ursicinus insurrexit contra Damasum, anno 417. Eulalius contra Bonifacium, anno 498. Laurentius contra Symmachum, anno 530. Dioscorus contra Bonifacium II. anno 538. Vigilius contra Sylverium, anno 996. Joannes contra Gregorium V. et omissis aliis, Albertus et Theodoricus gravissimum schisma excitarunt contra Paschalem II. electum in Pontificem anno 1099. Atqui nunquam ordinationes factæ a schismaticis illis in dubium revocatae sunt: imo in Synodo Guastallensi praeside Paschale II. valere sancitum est; ut refertur ab Abbate Urspergensi, et Tom. 10. Concil. pag. 749. anno 1106. Sic et in diuturno illo schismate, quod denique a Concil. Constantiensi sublato, cum multæ fuissent factæ ordinationes a Pontificibus inter se pugnantibus, ratae omnes habitæ sunt, et quisque in ordine semel accepto permansit. *Conf.* Ex Patribus. MELCHIADES, cum absolvisset Cæcilianum Carthaginensem, a quo Donatus cum aliis se sejunxerat, aiebat etiam ordinatos a schismaticis se habiturum pro Episcopis, si ad Ecclesiam redirent; verba Pontificis refert epist. 43. olim 172. AUGUSTINUS,

qui idem asserit epist. 185., L. 2. contra epist. Parmeniani., L. 2. cont. Cresconium Donatistam et alibi.

V. De excommunicato et deposito. Ex eadem traditione et praxi Ecclesiae; ex variis exemplis, quæ passim magno numero congerunt auctores: unum sufficiat Acacii patriarchæ Constantinopolitani, qui, licet depositus et anathemate percussus esset a Felice summo Pontifice anno 484. varios nihilominus ordinaverat, quorum ordinationes postea ratas habuit ANASTASIUS Papa in epist. ad Anastasium Imperatorem cap. 7. et 8. quam exhibet GRATIAN. Dist. 19. can. 8. in qua ait Pontifex se id facere *secundum Ecclesiae Catholicæ consuetudinem.*

VI. De simoniaco. Concilium Chalcedon. anno 451. can. 2. (Labb. t. 4. p. 756. B.) de simoniace ordinante et ordinato pronunciat, priorem venire in periculum gradus proprii, sive depositionis; de altero ait: *ordinatione nihil juvetur, sed sit a dignitate vel officio alienus;* ubi sola dignitas et officium auferitur simoniace ordinato; ipsa vero ordinatio nulla non declaratur. Idem habet Synodus Constantinop. sub GENNADIO anno 455., Aurelianensis V. anno 559. can. 10., Toletan. IV. anno 633. can. 19. etc.

Ratio autem generalis est: Quia nullo jure talis Episcopus redditus est inhabilis ad conferendos ordines: non divino; tale enim nullum assignari potest: non ecclesiastico; hoc enim dum prohibet fieri, vel admitti ordinationem ab Episcopo non legitimo, schismatico, haeretico, etc. non ideo tamen invalidare vult talem ordinationem; imo invalidare non potest; quia, quæ pendent a potestate, quam tradidit Christus, nullatenus adimi, vel impediri possunt ab Ecclesia, quantum ad valorem actus, sicut potestas baptizandi concessa a Christo omnibus, non potest adimi ab Ecclesia. Atqui potestas ordinandi est tradita Episcopis a Christo; est enim potestas ordinis et characteris episcopalis, quem sicut nec instituit, sic nec impedire potest Ecclesia; estque indelebilis, ut nullo etiam crimine amittatur; ergo si talis Episcopus adhibeat alia necessaria necessitate sacramenti, valebit ab eo facta ordinatio. Unde

Collige: Quando ordinationes ejusmodi dicuntur *nullius roboris, infirmæ, nullæ, etc.* id nequaquam intelligendum est de ordine quoad substantiam, sed quoad ejus executionem; aliquando quoad gratiam, cui obicem ponit scienter talem ordinem suscipiens, ut amplius patebit solutione objectionum.

148. *Obj. I.* In Episcopo improbo non manet character ordinis; ergo hunc alteri conferre nequit. *Prob. Ant. 1º.* In Constitutionibus Apostolicis L. 8. cap. 2. (Labb. t. 1. p. 457. D.) Episcopi, qui sancti non fuerint, dicuntur Episcopi non veri, sed falsi: item ab hominibus promoti, non a Deo. 2º. S. DIONYS. AREOPAG. epist. 8. (opp. t. 1. p. 605. B.) ad Demophilum, de sacerdote improbo ait: *non est sacerdos;* ergo. 3º. S. CYPRIANUS epist. 68. ad clerum et plebem Hispaniæ ut eligant sanctos praesules, de praesule peccatore ait, *ejus sacrificia grata Deo non esse:* Item, tales comparat cum Core, Dathan et Abiron; sed hi sacerdotes non erant. 4º. Auctor operis imperfecti in Matth. inter opera CHRYSOSTOMI, homil. 53. (in cap. 23. v. 18.) docet eos non esse apud Deum Ecclesiae ministros, qui ab ipso electi non fuerint.

5^o. GELASIUS epist. ad Elpidium, relatus Caus. 1. q. 1. can. 92. ait de ministro improbo, ad consecrationem non advenire coelestem Spiritum.

R. N. *Ant.* Juxta definitionem Tridentini Sess. 7. can. 9. et Sess. 23. can. 4.

Ad 1^{am} prob. R. D. Non sunt veri Episcopi ratione ordinis et characteris N. ratione finis, propter quem ordinantur Episcopi C. Sic dicere solemus, non est homo, qui juxta rationem non vivit. Et ratio est; quia cit. loc. affertur exemplum Caiphæ, qui tamen sacerdos erat, licet improbus. Alterum etiam D. Non a Deo, si spectetur ejus voluntas beneplaciti et complacentia C. secus N. Nam eos sacerdotalem dignitatem accipere et servare idem auctor Constit. Apost. cap. 1. ex professo tradit.

Ad 2^{am} prob. R. D. Non est sacerdos, hoc est, non fungitur sacerdotis officio C. secus N. Dicit enim eo loco sacerdotem debere habere vim illuminandi alios, quam si non habeat, non esse sacerdotem, nimirum quoad vim illuminandi plebem, sive non fungi sacerdotis officio.

Ad 3^{am} prob. R. D. Ejus sacrificia grata Deo non esse ex opere operantis C. ex opere operato N. Item, comparat cum Core, Dathan, et Abiron quoad potestatem intimam, vel ordinis N. quoad jus legitimum obeundi sacerdotalia munia C. CYPRIANUS hortatur clerum et populum, ut eligant Antistites dignos, atque peccare populum, si communicet cum peccatore sacerdote, quem eligit, sicut populus olim adhærens Core, Dathan, et Abiron; quibus non negat indignum ordinatum habere ordinem.

Ad 4^{am} prob. R. 1^o. Auctor illius libri, si non suspectus, saltem dubius est, perperam sub CHRYSOSTOMI nomine editus; CHRYSOST. enim in epist. ad Timoth. clare docet, sacerdotes malos recte conferre baptismum, consecrare, etc.

R. 2^o. D. Non esse apud Deum, quoad characterem et potestatem ordinis N. quoad mercedem bonis ministris paratam; vel, non esse gratos Deo C.

Ad 5^{am} prob. R. D. Non advenire Spiritum sanctum ex opere operantis C. ex opere operato N.

149. *Obj. II.* Synodus Constantinopolitana can. 4. (Lab. t. 2. p. 948. C.) ordinationem Maximi Cynici, qui erat *intrusus*, vel violentus invasor ejus Ecclesiæ sedis, esse irritam, item ordinationes ab eo factas. *Conf.* Anastasius Bibliothecarius in Scholio ad finem Synodi VIII. (Lab. t. 8. p. 1176. A.) ait faciendum esse discrimen inter ordinationes factas ab hæretico, et ab invasore vel intruso, qualis Maximus fuit, nimirum quod ordinationes hæreticorum ratæ haberi possint, non item intrusorum; ergo.

R. D. *Ant.* Esse irritas, quoad usum, vel exercitium legitimum et licitum, item quoad gradum, et honorem C. quoad valorem, vel characterem N.

Ad Conf. R. D. ut ante. Anastasius discrimen ponit in eo, quod ordinati ab hæreticis possint reconciliari, et restitui in pristinum gradum et officium juxta canones et consuetudinem Ecclesiæ; ordinati vero ab invasoribus sine recuperatione officii deponantur; cujus rationem dat, quod lapsi in heresin fuerint Episcopi veri et legitimi, et habuerint facultatem in suo ordine ministrandi; nunquam vero intrusi et invasores.

150. *Obj. III.* CONSTANTINI, qui in Sedem Romanam per vim fuerat intrusus, ordiatio fuit damnata a STEPHANO IV, et ordinationes a Constantino factæ, fuerunt a Stephano rescissæ, et reiteratæ; nam decreverat Concilium, quod Stephanus ex Galliæ, Germaniæ, et Italiæ Episcopis congregaverat; ut Episcopi a Constantino consecrati redirent ad gradum, quem ante habuerant, et, si digni judicarentur, iterum electi, iterum consecrarentur. Idem decrevit de presbyteris et diaconis; ergo.

R. D. *Ant.* Reiterata ordinatione vere sacramentali, similiter Concilium jussit iterum eligi et consecrari consecratione sacramentali N. ceremoniali, qua potius reconciliabantur C. Concilium non loquitur, nec intelligi debet de ipso ordine reiterato, sed de ritibus usitatis in reconciliatione schismaticorum, hæreticorum, quem ritum vocat Anastas. Bibliothecarius *benedictionis sacramentum* (Lab. t. 6. p. 1724. A.). Ita BARON. ad an. 769. (t. 9. p. 300. C.) et ostendit Alexander Natalis ad VIII. seculum cap. 1. artic. 8. *Nec obstat*, inter illos ritus fuisse adhibitam impositionem manuum, nam hæc impositio non erat *ordinativa*, sed *ceremonialis et reconciliatoria*, quæ semper adhibebatur, quocumque fiebat reconciliatio cum Ecclesia. *Ratio responsionis est*, quia idem Concilium jubet a Constantino ordinos in presbyteros et diaconos, si ante laici fuissent, ut depositi in religioso habitu permanerent, ut refert Anastas. Bibliothecarius in vita Stephani IV. et Sigebertus ad an. 767. Cur enim hoc, nisi, quod in iis permanere ordinem judicaret? ergo licet illi essent depositi, hoc est, prohibitum eis esset ministrare in suo ordine, non tamen ipso ordine privati erant.

151. *Obj. IV.* De Photio, qui a Gregorio Syracusano deposito ordinatus fuerat, et expulso Ignatio patriarcha sedem Constantinopolitanam invaserat, ait Concilium Constantinop. an. 869. can. 4. (Lab. t. 8. p. 1370. D.) *Photium nunquam Episcopum fuisse, nec nunc ulla ratione esse, justo decreto declaratum; nec ab illo creatos in eo sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti sunt, permanere.* Ergo. *Conf.* Hoc idem ante citatum Concilium dixerat NICOLAUS I. epist. 9. (ibid. p. 335. E.) ad Michaelem Imperatorem scribens: *Gregorius, qui canonice ac synodice depositus, et anathematizatus erat; quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet; igitur nihil Photius a Gregorio percepit; nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.*

R. D. *Ant.* Nec Photium, nec ab eo creatos Episcopos fuisse quoad substantiam ordinationis, vel ordinis, characteris N. quoad honorem, usum, et legitimam executionem sui ordinis, quia juxta canones graviter prohibentur, exequi suos ordines, et omnino ab omni functione erant suspensi C. Pari modo

Ad Conf. R. Ratio est 1^o. quia Nicol. I. ipse solum intelligit de officio, vel executione ordinis; nam de Photio dixerat epist. 7. cap. 1. (ibid. p. 287. A.) *sit omni sacerdotali honore et nomine alienus, et omni clericatus officio exutus.* De Gregorio vero ibid. cap. 2. Gregorium definimus, omni sacerdotali carere et privatum fore ministerio, et cap. 3. eodem modo de ordinatis a Photio. 2^o. Quia idem Nicolaus I. in epist. 13. in Gregorio Syracusano tantum arguit, quod Photium *irregulariter* ordinasset; sed aliud est ordinare irregulariter, aliud non valide. 3^o. Quia Adrianus II. Nicolai successor in

epist. ad Basiliam (Labb. t. 8. p. 1174. B. C.) palam profitetur adhærere se in eo decretis Leonis I. qui statuit ejusmodi Episcopos quidem deponi debere, sed ratas tamen haberi posse ordinationes ab iis factas. 4°. Quod in cit. Concil. eodem modo dicatur non Christianus, quo vocatur non Episcopus; at certe, eo non obstante, retinuit baptismi characterem; ergo etiam. 5°. Denique quod Photius post mortem Ignatii a Joanne VIII. citra ullam novam consecrationem, uti et ab ipso ordinati in pristinas sedes fuerint restituti, ut constat ex epist. JOANNIS ad Basiliam (Labb. t. 8. p. 1455. B.) in qua: *hunc ipsum Patriarcham, Photium, cum omnibus sive Episcopis... in quos judicii fuerat censura prolata, ab omni Ecclesiasticæ sanctionis vinculo absolvimus, sanctæque Ecclesiæ Constantinopolitanæ judicamus recipere sedem, Dominicique gregis esse Pastorem.*

152. *Inst. 1.* Nicolaus I. ut habetur in ejus epist. 1. suis legatis præcepit, ut Photium haberent tanquam laicum; et act. 4. Synodi VIII. dicitur de eodem, quod Romana Sedes eum inter laicos computaverit; Adrianus vero in epist. synodica (ibid. p. 1449. D.) *Photium, inquit, damnamus, nisi decretis nostris sese obtemperaturum promittat... tunc enim illi laicorum communionem non interdiximus.* Ergo nec quoad characterem censebatur Episcopus; laici enim illum non habent.

R. D. *Ant.* Habent tanquam laicum in foro externo, quoad jura, dignitatem, officium C. secus N. Nam Nicolaus I. quidem eum ut laicum haberi præcepit, cum nondum constaret, annon Photius esset Episcopus legitimus; ideoque mandatum istud non spectabat ordinem et characterem. Deinde observandum, quod juxta canones hæc esset poena, ut, qui contra leges prorepissent ad gradus ecclesiasticos, iis carere debuerint, et haberi quasi nullos essent adepti, et Episcopi etiam antea veri et legitimi, si in gravia crimina fuissent lapsi, ad communionem laicam fuerint retracti, ut docemur ex Concil. Agathensi can. 50. (Labb. t. 4. p. 1391. E.) *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit... ab officii honore depositus, in monasterium retrudatur, et ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.* Ita quoque ad verbum Concil. Epaunense can. 22.

153. *Inst. 2.* Photius tamen reipsa reiteravit ordinationes factas ab Ignatio; ergo.

R. N. *Cons.* Factum enim Photii, intrusi et schismatici, improbique esse instar regulæ non potest. Deinde hæc ipsa impietas ipsi vitio data fuit; ergo potius conclusionem confirmat.

154. *Inst. 3.* Legati summi Pontificis in Bulgariam missi sacramentum Confirmationis datum a Photianis reprobarunt, et reiterarunt; ut testatur Metrophanes in epist. ad Manuelem Patricium p. 3. synodi cap. 2.: atqui hoc factum non fuisset, si Photius intrusus potuisset adhuc valide ordinare.

R. D. M. Sacramentum Confirmationis datum a Photianis presbyteris C. Episcopis N. Legati judicabant presbyteros non esse idoneos ministros hujus sacramenti, ideoque reiterandum putabant, licet, ut id facerent, speciale mandatum Pontificis non haberent. Ita se rem habuisse manifestum fit ex Photii epistola encyclica, quam refert Baronius ad ann. 863. *Chrismate*

inunctos, per sacerdotes denuo chrismate inungere non exhorruerunt, cum se Episcopos prædicarent, et presbyterorum chrisma inutile ac frustra factum comminiscerentur.

155. *Obj. V.* Duo Pontifices Stephanus VII. et Sergius Formosi Pontificis ordinationes non modo declararunt esse nullas, sed etiam reipsa reiterarunt, et plane de novo, ordinatorum a Formoso, in suis ordinibus consecrarunt; ut testatur Auxilius scriptor coævus, Sigebertus, Luitprandus, et monumenta Romanæ Ecclesiæ. Ergo.

R. D. *Ant.* Duo Pontifices, Apostolicæ sedis invasores, viri pessimi, mero facto ita egerunt C. secus N. Stephanus vi Adalberti Marchionis Tusciæ Sedem Romanam invaserat, ait Luitprandus; Sergius vero Francorum ope noctu Romam ingressus Papatum invasit teste Sigeberto. Uterque ira et vindicta accensus contra Formosum, tam iniqua attentavit: *Furore percitus homo, inquit Baronius de Stephano ad an. 897. (t. 10. p. 622. B.) non quod jure liceret, sed quod exæstuans rabies suâsit, implevit. Non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto.* Unde ex hoc nihil probatur contra conclusionem.

156. *Inst. 1.* Sed idem cum Stephano judicarunt multi ex clero Romano; ergo.

R. D. *Ant.* Eo partim minis et metu compulsi, partim similibus de causis C. secus N. Nam, ut testantur auctores citati, plurimi alii, qui saniori pollebant consilio, Formosi ordinationes tanquam ratas et validas habuerunt. Cæteri vero ex clero Romano consentiebant Stephano, vi ac terrore compulsi; partim eo, quod e re sua id esse crederent; cum enim jacitarent hoc esse jus cleri Romani, ut nemo, nisi ex ejus gremio promoveretur in Sedem Apostolicam; ideo adhærebant Stephano contra Formosum, qui ab episcopatu Portuensi in Sedem Romanam assumptus fuerat; criminantes imperite et malitiose Formosum non fuisse verum Episcopum, quod non stetit jure jurando, quod se obstrinxerat Joanni VIII. non redeundi ad Ecclesiam Portuensem, quo tamen Marinus Joannis successor eum absolverat.

157. *Inst. 2.* Formosus tamen ipse agnovit se non fuisse verum Episcopum, cum factus esset Romanus Pontifex; ergo. *Prob. Ant.* Nam manus impositionem sibi fieri voluit, ac si Episcopus non esset.

R. N. *Ant. et prob.* Ita quidem dicebatur a Formosi æmulis, sed falsissimum esse inquit Auxilius L. 2. cap. 26. (ap. Morin. de ordinat.) huic historiæ coævus et Romæ existens.

158. *Obj. VI.* Ordinationes hæreticorum oportere iterari statuit Canon Apostolicus 67. *Conf. 1.* Nam, ut ait CYPRIANUS in epistolis de Hæret. rebaptizandis, *omnia quæcumque faciunt hæretici, carnalia sunt, inania et falsa, ut nihil eorum a nobis probari debeat.* *Conf. 2.* Synodus Nicæna can. 8. Novatianos quidem recipi jubet in suis ordinationibus, sed accepta manuum impositione; quam vero manuum impositionem fuisse ordinativam, et intelligendam de ordinatione, non reconciliatione vel confirmatione in susceptis ordinibus docet Morinus, aliique veteres, Ruffinus in versione Concilii Nicæni, Martin. Bracarensis, Isidorus Mercator, etc.